las et aequationes reduxerunt. Eae formulae ſunt profecto fideliſſimae interpretes continuitatis Geometricae: eae exhibent ſcripturae genus, ex quo animus legibus Semiotices Matheſeos aſuetus legit, et quicquid viſui exponi et quicquid eo comprehendi nequeat, quaeque poſſibiles, quaeque impoſſibiles in dato caſu conditiones ſint. Quam illuſtria ex Geometria ſubliniori exempla huc transferri potuiſſent? addam vnicum complexum formula $u^4 - bzu^2 - z^4 - 2bz^3 = o$ cuius ramus expreſſus fig. 9. Haec ex legibus ſemiotices puncta multiplicia concernentibus tractata redit ad hanc

$$\frac{dz^3}{du^3} + \frac{dz}{2\,du} = o$$ Eius itaque radices erunt

$$\frac{dz}{du} = o \quad \text{et} \quad \frac{dz}{du} = + \sqrt{-\tfrac{1}{2}} \quad \text{et} \quad \frac{dz}{du} = - \sqrt{-\tfrac{1}{2}}$$

Quae ſatis indicant in puncto G. adeſſe triplex punctum inuiſibile, quod ad eius rami comprehenſionem neceſſarium, quodque *non viſu, ſed ratione* ope aequationis aſſequitur. *Plura dabunt volumina* Geometrarum *). Et Kaeſtneri Viri Cl. programmata ei, qui ea intelligit, auro cariora, ſatis ſuperque, ſatis declarant, quanti in ſcientiis Mathematicis ex genuino ſemiotices vſu progreſſus expectandi.

Tandem venio ad illuſtrandum Semiotices Matheſeos vſum longe praeſtantiſſimum, qui *nouiſſimis demum temporibus innotuit.* Nobilis haec ſcientia ſuis, quas in ante memoratis commodis aliunde mutuo ſumpſit, viribus nixa ac ſuffulta nobis ad ſubliniorem Geometriam viam aperit et a cognitione longe remotiſſimas veritates docet. Ex quo enim tempore eas, quas ſupra laudaui, regulas de natura aequationum ſagax ſummorum virorum ſolertia detexit, et ex iis inprimis eas, in quibus duae incognitae ſeu variabiles vna cum conſtantibus arbitrariis, quarum altera eſt alterius functio, profundius rimata eſt, non poterat non detegere feliciſſime: eiusmodi aequationum completarum ſeu vniuerſalium ac in aequationes ſimplices irreſolubilium contineri, poſito n. exponente alterutrius incognitae ſupremae, terminis numero $\frac{(n+2).(n+1)}{2.}$ hinc omnes aequationes ordinis I continentur hac

$$a + bx + cy = o$$

Ordinis

*) Gabriel Cramer introduction a l'analyſe des lignes courbes algebraiques Chap. XIII.